

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

BOGOTENSIS.

(GIRARDOTENSIS.)

AB ARCHIDIOECESI BOGOTENSI QUAEDAM DETRAHUNTUR TERRITORIA, EX QUIBUS
NOVA DIOECESIS EFFICITUR, GIRARDOTENSIS NUNCUPANDA.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quandocumque amplo territorio ingentique fidelium numero aliqua Ecclesia redundat, ut vix a vigilantissimo sacrorum Antistite qua par est diligentia regi queat, ad christianae religionis incrementum procurandum apostolicae Nostrae sollicitudinis est illam opportune dismembrare novamque exinde dioecesim constituere alius sollertis Episcopi curis tradendam. Quae cum ita sint, cum venerabilis Frater Paulus Bertoli, Archiepiscopus titulo Nicomediensis et in Columbiana Republica Apostolicus Nuntius, ab hac Apostolica Sede expostulaverit ut, partita Bogotensi archidioecesi, nova in eiusdem provinciae territorio conderetur dioecesis, post auditam sententiam dilecti Filii Nostri Chrysanthi S. R. E. Cardinalis Luque, Archiepiscopi Bogotensis, huiusmodi precibus perlibenter annuendum censemus. Re igitur diligenter considerata atque consensu eorum omnium suppleto, qui in hac

re aliquid iuris vel habeant vel se arbitrentur habere, certa scientia eorum quae decreturi sumus, summa et apostolica Nostra potestate haec quae sequuntur statuimus ac decernimus. Ab archidioecesi Bogotensi totum distrahimus territorium, in quo tres et triginta exstant curiae, quae hic vulgato nomine enumerantur, scilicet : Girardot, Pandi, San Bernardo, Albeláez, Ospina, Cabrera una cum addita parte regionis nomine Sumapaz, quae usque ad aquarum devortium inter montem vulgo Pico Bandera et lacum Pifiuelal vergit, Pasca, Fusagasugá, El Triunfo, La Mesa, Rafael Reyes, Viotá, Silvania, Cumaca cum pago Tibacuy, Anapoima, El Colegio, Tocaima, Tena, San Antonio, Cachipay, Anolaima, Jerusalén, Guataqui, Nilo, Nariño, Ricuarte, Agua de Dios, Quipilé cum pagis La Sierra et La Virgen, Bituima, Viani, San Juan de Rio-seco, Pulí, Beltrán, atque tres curiae, quae sui iuris sunt, vulgo : Santandercito, San Joaquín et La Florida. Ex quibus in unum redactis novam efficimus dioecesim, *Girardotensem* nuncupandam; cuius fines ipsarum omnium simul curiarum terminabuntur finibus. Statuimus insuper ut nova Girardotensis dioecesis uti suffraganea subdatur Bogotensi metropoli, cuius Archiepiscopo Girardotensis Episcopus iure obnoxius sit; utque praeterea idem sacrorum Antistes sedem ac domicilium in urbe vulgo Girardot statuatur, cathedram vero pontificalis magisterii in urbano templo Deo in honorem Sancti Michaelis Arcangelis dicato, donec novum aptiusque templum exstructum fuerit, collocet. Volumus insuper ut urbs et sacra aedes atque nova Girardotensis dioecesis, de quibus supra diximus, iisdem decorentur honoribus, iuribus ac privilegiis, quae ad ceteras eiusdem gradus episcopales urbes, aedes cathedrales ac dioeceses spectant : atque ut eius Episcopus iura et onera habeat, quae consequi solent episcopalem dignitatem. Decernimus quoque ut, ad decorem augendum sacrorum rituum, Canonorum Collegium quam cito in cathedrali Girardotensi templo condatur, iuxta peculiare normas per alias sub plumbo Litteras a Nobis dandas ; quoadusque tamen huiusmodi Collegium condi nequeat, permittimus ut Canonorum loco dioecesani Consultores ad iuris normam eligantur et renuntientur. Mensa autem episcopalis, quae dicitur, constabit sive dote ab auctoritate civili assignanda sive summa ab Archiepiscopo Bogotensi tradenda, sive Curiae fructibus sive fidelium pecuniis ac rebus sponte oblatiis. Cum autem maxime Nobis sit cordi institutio puerorum illorum, quos Deus ad sacerdotale munus incenderit capessendum, volumus ut Girardotensis Episcopus Seminarium saltem elementarium quam primum condatur ad iuris communis normam et iuxta leges a S. Congregatione Seminariis et Stu-

diorum Universitatibus praeposita traditas. Cum autem sacrorum alumni ad philosophica ac theologica studia aggredi debeant, Episcopo maximae erit curae ut e Seminario ipsi ad maius Bogotense Seminarium, optimi vero Romam mittantur in Pontificio Ephebeo Piano Latino Americano hisce disciplinis erudiendi. Quamdiu vero dioecesis Girardotensis Seminarii aedibus carebit, etiam adulescentes litterarum scientia imbuendi ad Seminarium archidioecesis Bogotensis mitti poterunt. Quae vero ad novae Ecclesiae regimen et administrationem respiciunt, item ad Vicarium Capitularem, Sede vacante, eligendum, ad fidelium et sacerdotum iura et onera, ad aliaque huiusmodi, eadem praecipimus servanda, quae Codex Iuris Canonici iubet. Decernimus itidem ut simul ac Girardotensis dioecesis erecta fuerit, clerici Sedi illi censeantur addicti, in* cuius territorio legitime habeant ecclesiasticum beneficium aut officium; ceteri vero ei dioecesi adscribantur in cuius regione iure optimo degant; atque ut omnia documenta et acta, quae ad noviter erectam Sedem, ad eius clericos, fideles ac temporalia bona spectant, a Curia archiepiscopali Bogotensi quam primum ad episcopalem Curiam Girardotensem mittantur, in eius tabulario diligenter asservanda. Ad ea, denique, quae his Nostris Litteris efficienda praescripsimus, venerabilem Fratrem Paulum Bertoli, quem supra diximus, deligimus, cui omnes agenda rei potestates cedent, cuilibet viro delegandae, dummodo ecclesiastica dignitate pollenti; quae cum facta fuerint, idem onus habebit peractae dismembrationis atque erectionis documenta exarandi eorumque fide digna exempla ad S. Congregationem Consistorialem quam primum mittendi. Quodsi eo tempore, quo haec fieri debeant, alius Apostolicae in Columbia Nuntiaturae praeerit, hic iisdem potestatibus fruetur eademque sustinebit onera.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus * ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ae Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressio sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur.

Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo sexto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

ÜELSUS Card. COSTANTINI

S. R. E. Cancellarius

© Fr. ADEODATUS I. Card. PIAZZA

S. Congr. Consistorialis a Secretis

Hamletus Tondini

Apostolicam Cancellariam Regens

f A. Carinci, Archiep. tit. Seleucien. i. Is., Decanus Proton. Apost.

A. Serafini, Proton. Apost.

Loco £g Plumbi

In Ap. Cane, tao., vol. LXXXXIII, n. U